This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Ga 113.193.9

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 Stephen Salisbury, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

QUOMODO APUD

ARISTOTELEM

IN EJUS

DE ANIMA DOCTRINA

EMPEDOCLES ET HIPPOCRATES AUCTORITATE

CONTENDERINT CUM PLATONE

Hanc Thesim

Facultati Litterarum Parisiensi

proponebat

G. L. DUPRAT

Olim Universitatis Burdigalensis alumnus

LUTETIÆ PARISIORUM

Apud A. FONTEMOING, Bibliopolas

4, Via dicta Le Goff, 4.

MDCCCXCVIII

QUOMODO APUD

ARISTOTELEM

IN EJUS

DE ANIMA DOCTRINA

EMPEDOCLES ET HIPPOCRATES AUCTORITATE

CONTENDERINT CUM PLATONE

Hanc Thesim
Facultati Litterarum Parisiensi
proponebat

G. L. DUPRAT

Olim Universitatis Burdigalensis alumnus

LUTETIÆ PARISIORUM
Apud A. FONTEMOING, Bibliopolas,
4, Via dicta Le Goff, 4.
MDCCCXCVIII

Ga 113.193.9

HARVARD COLLEGE
MAY 1 1905
LIBRARY.
Salisbury Fund

Magistro meo

G. RODIER

Hoc grati animi documentum

D. D. D.

ERRATA

œ pro æ :

p.	5	l.	2
—	6	—	21
—	7	—	6, 10, 19, 27
—	8	—	18
—	9	—	2, 23, 24
—	10	—	14
—	15	—	13
—	17	—	10, 14
—	19	—	8
—	20	—	6
—	22	—	21, 24
—	23	—	2
—	26	—	12
—	31	—	3, 7
—	32	—	4
p.	33	l.	8
—	34	—	10
—	38	—	13
—	40	—	3
—	41	—	3
—	42	—	5
—	50	—	13
—	57	—	3
—	33	not.	1
—	38	—	2, 4
—	40	—	3
—	41	—	3
—	48	—	1
—	55	—	3

p.	6,	l. 9,	lege :	οὐσία
-	7,	- 1,	-	prima
-	7,	- 17,	-	cum
-	9,	- 2.	-	numeri
-	9,	not. 2,	-	δὲ ὅτι καὶ ἰατρὸς
-	10,	l. 3,	-	controversa
-	10,	- 7,	-	nonnunquam
-	11,	- 11,	-	aut
-	15,	- 22,	-	ἀκίνητον
-	15,	not. 2,	-	De Anima
-	17,	l. 2,	-	fieret
-	17,	- 6,	-	ἡ
-	18,	- 4,	-	Pythagoricorum
-	18,	- 11,	-	ἁρμονίαν
-	18,	- 13,	-	doctrina
-	19,	- 12,	-	sensus
-	19,	- 14,	-	praestantiam
-	21,	- 16,	-	Itaque
-	21,	- 20,	-	Ordo
-	23,	- 8,	-	, sed
-	25,	- 12,	-	Ἔνιοι δὲ
-	25,	- 13,	-	Ἐμπεδοκλῆς, οὕτω ἀν
-	25,	- 13,	-	τὸ κινητικὸν
-	25,	- 14,	-	καὶ...ἥρμοττε ψυχαῖς
-	26,	- 22,	-	femineus sexus
-	27,	not. 1,	-	αἱ δυνάμεις
-	29,	l. 9,	-	alitur;
-	29,	- 25,	-	συμφύτου
-	29,	not, 2,	-	416 b 20
-	29,	- 3,	-	3
-	32,	l. 17,	-	ignemque
-	33,	not. 1,	-	Aristoteles'
-	34,	- 2,	-	steht
-	34,	l. 2,	-	ἀπόρροιαι
-	34,	l. 14,	-	οὐδ' ἀλλοιοῦται
-	36.	l. 21,	-	ἐρυθρὸν
-	38,	- 6,	-	Erkenntniss
-	38,	- 18,	-	ἐπιστήμης κτῆσις
-	40,	- 4,	-	Quamobrem
-	40,	- 21,	-	Aristoteles
-	41,	- 21,	-	μνημονεύειν
-	42,	- 3,	-	ἀνάμνησις
-	42,	- 6,	-	(κατὰ συμβεβη
-	42.	- 12,	-	αἰσθητικὴ
-	44,	- 6,	-	ταὐτὸν ἡ... αἰσ
-	46,	- 7,	-	ποιητικὸν καὶ
-	47,	- 7,	-	quamdam
-	47,	- 18,	-	ποιητικὸς
-	48,	- 17,	-	ἄλλων.. ἀσωματώ
-	48,	not. 1, l. 3,		περὶ
-	48,	l. 8,	-	illam
-	49,	- 12,	-	Οἱ λέγοντες ἁρμον ψυχὴν... πόρρω... ἄγαν
-	50,	- 23,	-	formam
-	51,	- 12,	-	Galeno
-	51,	- 19, 21	-	Galenus
-	52,	- 4,	-	ἕπεσθαι... τῆς
-	52,	- 20,	-	ἴσχοντα
-	53,	- 20,	-	οὐρανοῦ
-	53,	not. 2,	-	Bonitzius
-	54,	tit.,	-	De anima
-	54,	l. 2,	-	σῆμα
-	55,	l. 9,	-	afficerentur
-	55,	- 13,	-	transeatur
-	55,	- 17,	-	πάσαις... ἢ
-	55,	- 20,	-	συναίτιοι
-	55,	- 23,	-	κενολογεῖ...ποι
-	55,	not. 2,	-	μείζων ἢ... αὐ
-	57,	l. 11,	-	essent
-	57.	— 19,	-	ψυχὴν μίξαντες

p. 57, l. 20, sqq, lege : ἀμφοῖν... ἀσωμάτοις... Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγό τῶν... ὑφίστανει στοιχείων... τῶν δύο κινητικῶν ἀρχῶν... νείκους μόνον

p. 59, l, 14, ὕλη

Index nominum : Dicaearchus-Galenus - Weygoldt -

INTRODUCTIO

Aristoteles nunquam in ullo librorum quos scripsit ea quœ sentit enuntiat, nisi expositis perpensisque sententiis philosophorum qui antea fuerunt.

Sed cum primus omnium quasi historiam philosophiæ scriberet, ei non erat consilium illud quod ei Baco (1) fuisse dicit, ut scilicet ceterorum sententias philosophorum ita refelleret ut nullæ fierent.

Necesse enim erat, ut quidem ille sentiebat, priorum philosophorum afferret opiniones, ut ea acciperet quæ illorum scriptis bene dicta inessent, illis autem quæ male, abstineret (2).

Non enim ei satis esse videbatur opiniones refellere; nam quemadmodum ad fundamenta scientiæ ponenda non valeat dialectices, ita non refutatio (3); demonstratio vero

1. Novum Organ. I, § 67.
2. De anima, I, 2, initio.
3. Cf. Met. III. 4. 1006 a 1 sqq. Analyt. post.; 99 b 20 sqq.

sola, quæ a primis principiis proficiscitur, veram scientiam efficere potest.

Sed demonstrationis principium non est demonstratio, nec scientiæ principium est scientia. Intellectus enim est scientiæ principium et principiorum scientiarum cognitio intuitiva. Principia autem demonstrationum sunt per se notiora; ex obscuris tamen, magis nobis manifestis, fit id notum quod est per se dilucidum ac notius ratione, id est necessarium et ὑσσία, unde fit scientia.

Sunt quidem nobis notiora (quanquam per se obscuriora sunt) res scilicet individuæ et universalia. Necesse est enim experientia individuæ res, inductione universalia nobis nota fiant (1).

Quicunque vero cupit scientiam rerum tenere quibus inest quædam implicatio, necesse est illum experientiam adire. Tantum autem philosophicarum doctrinarum historia ad philosophiam creandam valet, quantum experientia ad scientiam : est enim utraque quasi necessaria quædam præparatio.

Ex illa vero Aristotelis doctrina, quid scilicet ad philosophiæ novæ principia invenienda valeat opinionum priscorum philosophorum cognitio, non solum sequitur ut veritatis quasdam partes veteres reperierint, sed etiam ut non tam hoc obcæcentur eorum animi quod non longe processerint in rerum natura cognoscenda, quam quod illis temporibus prima philosophia laboraret egestate quadam ac inopia.

1. De anima II. 2. 413 a 11; Analyt. post. 100 b 5 sqq.

Itaque, si quis ea removerit quibus qrima philosophia (sive metaphysices) quædam imperfecta prave nota fit, vel potius si imperfectas notiones ut decet perfecerit; si denique illis quæ veteres animadverterunt lumen clarius adhibuerit; tum licebit veram animæ scientiam condere, quæ veræ primæ philosophiæ indissolubili nodo hœret.

Aristoteles quidem ipse res indagat, ut quam sœpissime, in principiis allatis quid veritatis insit demonstret; sed ante omnia, opera curaque ejus in hoc versatur ut planum fiat quomodo principia suœ ipsius doctrinæ dubia aperiant e rebus orta quas priores philosophi collegerant.

Nunc igitur, ut credimus, patet Aristotelem procul abfuisse ut cum antecessores suos tum experientiam et naturæ philosophiam sperneret, quod consilium illi fuisse Baco temere dicit. Aristoteles enim non in dialecticis ornem curam consumit, quod esse contenderunt et Verulamius et Malebranche; sed, contra, non cums iis qui profecti sunt a Platone dissedit nisi pulsus cupiditate loci justi et legitimi tribuendi experientiœ, id est naturali philosophiæ quam veteres φυσικήν vocabant.

Nunc igitur quæramus qui sint inter illius antecessores ii philosophi quorum non modo de anima doctrinas refellat, sed etiam qui apud illum manifesta auctoritate valuerint.

In prima parte libri qui De anima inscribitur, Aristoteles ipse summatim refert antecessorum suorum opiniones, Thalis scilicet et Heracliti et Diogenis et Hipponis et Critiœ

et Democriti et Anaxagoræ et Empedoclis et Platonis et Pythagoricorum. Quorum ille doctrinas ad summum ad hoc reducit, ut rationem reddant cur spontaneus motus et cognitio et quasi incorporalitas fiant; quæ res explanatur per qualitates elementorum aut elementi e quo anima constat. Omnibus enim, inquit, elementis, terra excepta, philosophii usi sunt, ut naturam animæ explicarent (1). Diogenes enim et Heraclitus aerem prætulerunt, aquam Hippo; ignem aut corpuscula, ignis corpusculis haud dissimilia, Democritus; Empedocles autem et Plato ex omnibus elementis animam constare dixerunt; Anaxagoras solus contendit animam sinceram esse et omni patibili natura vacare, solusque contra elementa corporea animam posuit (2).

Sed illi qui docuerunt animam ex elementis corporeis constare tantum corpori cuidam corpus alterum subtilius immiscuerunt (3). Corpus vero, vel grave, vel subtile, nihil aliud est nisi materia, nec potest corporea causa explicare cur ulla οὐσία sit (4).

Illi autem qui animam ex plurimis elementis constare voluerunt ii non efficere potuerunt ut explanarent quomodo fit cogitatio. Nam quo pacto potest quod plurimum est cogitare quod unum ?

Ceterum omnes illæ de anima doctrinæ illo vitio afficiuntur quo philosophia prima unde manant, et Aristote-

1. De an. I. 2, 405 b 8.
2. Ibid. 405 a 17 — b. 20.
3. Ibid. 409 a 32.
4. De an II. 1, 412 a 18, 413 a 2.

les negat materiam (sive elementa, sive corpuscula, sive numera est) primam esse causam naturœ. Vera enim causa formalis est; anima incorporea est forma, quam rem omnes, exceptis Anaxagora et Platone, obliti esse videntur.

Sed ipse Anaxagoras suo « Νῷ » non ut decuit usus est, cum omnes naturæ οὐσίας hujus participes esse dixit, quasi esset anima quantitas vel res ubicunque sibi similis, unde plus minus acciperetur (1). In cujus philosophi doctrina quod probari potest apud Platonem denuo occurrit, a quo Aristoteles multa desumpsit, nec semper confessus est.

E philosophis tamen qui de natura scripserunt, unus tantum valuit ut proponeret de natura animalis corporis quasdam doctrinas quas non omnino Aristoteles rejiciet; Empedoclem dico qui, ut videtur, medicus erat (2), et ejus nomen et verba sæpe Aristoteles indicat, in libris qui propius accedunt ad naturæ doctrinam quam ad philosophiam primam.

Ex omnibus enim ejus antecessoribus Empedoclis libentius Aristoteles refert præcepta ad animam pertinentia. Idem ille existimabat fortasse, ut dixit Zellerus (3), Empedoclem cum in rerum naturæ investigatione concedere Democrito, tum in primæ philosophiœ scientia Parmenidi et Anaxagoræ; sed fortasse hoc illi prœsertim vitio vertebat

1. Cf. de partib. animal. IV, 10. Met. ; A. 4, 985 a 18.
2. Diog. Laert. VIII, 58, φησὶ δε Σάτυρος ὅτι και ιάτρὸς ἦν.
3. Zeller « Philos. des Grecs, t. II. Trad. Boutroux », p. 239, nota 4.

quod in iis quæ sentiret exprimendis, subobscurus esset, quanquam vera balbutire conaretur (1).

Quidquid de hac re tam contraversa est (2), nobis videtur demonstrari posse quomodo ille Agrigentinus philosophus una cum Platone apud Aristotelem de rebus ad animam pertinentibus auctoritate valuerit, cum Hippocrates, si non semper at certe nonnumquam, inter Empedoclem et Aristotelem quasi vinculum efficeret. Empedocles enim, ut scimus, plurimum auctoritate valuit apud Hippocratem, a quo multa quæ apud Aristotelem inveniuntur manant.

Ejusdem illius Empedoclis Aristoteles doctrinam probat, non tamen omnino, ex qua sint quatuor elementa: aer et aqua et terra et ignis. Et cum fere omnia quæ dixit Plato de ipsa anima, ac præsertim omnia quæ in Timœo suo ad animam pertinent, mythica sint, Aristoteles inde coactus est aliunde res et præcepta trahere. Non enim illi satis esse poterat rationes referre quibus ipse Plato quasi confitebatur nullam inesse veritatis partem.

Itaque Plato apud Aristotelem auctoritate valuit maxime in ea parte ejus doctrinæ quæ ad primam philosophiam pertinet. Quæ cum ita sint, non tam nobis erit consilium omnia quæ debuerit Platoni Aristoteles exponere quam demonstrare quo quasi vinculo Empedocles cum Aristotele conjungatur.

1. Métaphys. I. 4, 985 a 4.

2. Cf. Diog. Laert. VIII, 57. et Lommatsch, Hegel, Fries, apud Zellerum, loc. cit.

CAPUT PRIMUM

De anima generaliter.

I

Primum breviter investigemus quid sit summatim anima apud Aristotelem, utrum sit substantia an in qualitate vel in quantitate, vel in alio quodam genere collocetur; utrum inter illas res sit quæ potentia sunt, an potius sit quidam actus; utrum denique moveatur, an immobilis ipsa moveat omnia (1).

Nec Aristoteles censuit animam esse aquam aerave, sanguinem aut ignem atque calorem; aut ipsam efficere corpora similia « corpusculis iis qui videntur in radiis qui per fenestram ingrediuntur » (2). Nec putavit eamdem illam constare ex uno elemento ant ex universis elementis, nec unumquodque elementorum animam esse (3).

Negavit etiam animam harmoniam quandam esse (4), aut numerum se ipsum moventem, aut essentiam quæ possit a corpore disjungi ut illi alienam.

Apud eum anima fuit primus actus aut ἐντελέχεια corporis naturalis potentia vitam habentis, idque hujus modi ut partes ipsius sint quasi instrumenta (5).

1. De anima I. 1. 402 a 25 sqq.
2. Ibid. I. 2. 404 a 1.
3. Cf. Ibid. I. 404 b 12.
4. De anima I. 4.
5. De an II. 1. 412 a 27.

Quæ quidem definitio demonstrat animam esse formam, nec materiem, et illi esse corpus proprium ac peculiare cujus sit forma aut actus proprius, quo efficiatur vita : id est primum nutritionem et accretionem et defectum, deinde sensum atque motum, appetitum denique et voluntàtem et intellegentiam efficit anima (1).

Eadem illa tribus modis universaliter determinatis causa est. Nam ea causa est unde profluit motus ; est etiam illa cujus gratia cetera fiunt, et insuper est causa quatenus forma est substantiaque corporum animantium (2).

Quamobrem non recte dixit Tullius (3) : « Aristoteles cum quatuor illa genera principiorum esset complexus e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse e qua sit mens... Quintum genus adhibet vacans nomine ; et sic ipsum animum ἐντελέχειαν appelat novo nomine, quasi quamdam continuatam motionem et perennem. » Duplici enim errore laboravit : anima enim primum non est « quinta quædam natura », quasi fieri etiam posset ut cum rerum elementis conferretur, non deinde est per se ipsam motus. Tullius vero æthera hic permiscere cum anima videtur ; sed apud Aristotelem, ut infra dicetur, æther aut spiritus hoc tantum est quod animam vehit.

II

Veterum tamen plerique recte asserebant animam id esse quod maxime primoque movet. Ad quod demonstrandum,

1. De an. II. 1. 412 a 14
2. Ibid. 415 b 8. II. 4.
3. Tuscul. disput. I. X.

Plato (1) ponebat decem genera motuum, inter quos alterum quemdam motum qui semper alios movet nec semet ipsum movet, et alterum motum qui semet ipsum movet ac omnes alios movet, cui primus rectissime assignatur locus, ut qui omnium motuum maxime valeat et principium sit omnium rerum quæ moventur.

Itaque anima, quæ id est quod se ipsum movet, ante corpus exstitisse dicitur et mutationi omnium corporum conversionique rerum universarum præesse. « Se ipsum movere », ut ait Plato, hanc essentiam definit cui nomen animam indimus (2).

Aristoteles autem Platonem secutus est in octava parte libri qui Physica inscribitur, hæc cum diceret : Id quod movet est duplex; aut enim non per se movet, sed per aliud movetur quod motu ciet — aut per se movet. Quod autem movet, necesse est primum aliquid sit quod nulla res alia moveat; si igitur omne quod movetur aliquo motu cietur, id certe quod primum movet movetur quidem at non alia re : sequitur profecto ut principio id ipsum a se ipso moveatur necesse sit.

III

Hæc jam quidem verba Platonis Aristotelisque congruunt ; non fieri potest ut motus non sit; itaque necesse est aliquid esse quod primum moveat (τὸ πρῶτον κινοῦν). Recte igitur dixit Plato animam id esse quod maxime primoque

1. Leges X, 894, D.; 895.
2. Ibid. X, 896, A.

movet et necessario animam omnibus naturæ rebus præesse.

Sed Plato una cum priscis multis philosophis erravit, cum existimavit fieri non posse ut id quod non movetur aliud quicquam moveat. Fieri contra non potest ut id quod se ipsum movet se totum penitus moveat (1). Quod unum est ac individuum specie, totum feretque feretur sese motu eodem, et mutabitur et mutabit, et patiens et agens simul erit, qua re nihil est absurdius.

Motus est actus mobilis imperfectus; sed id quod movet actu jam est. Itaque quod movet non necessario movetur nisi a se movetur. Sed Aristoteli placuit hoc non posse se ipsum movere : alterum ergo movebitur, alterum *movebit immobile*. Quod ex pluribus rebus aut essentiis compositum se movere ipsum dicitur, necesse est in se habeat et id quod movet, cum tamen sit immobile, et id quod movetur. Quod igitur primum movet in omnibus rebus quæ moventur immobile dici necesse est.

Animam denique non posse moveri contra Platonem asserit Aristoteles, quanquam idem planum fecit animam in corporibus omnium animantium id esse quod primum movet (τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον). Quia anima partibus vacat, non moveri potest, nisi instar illius qui sedens in currente navi movetur (2).

1. Physic. auscult. lib. VIII, 257 b 2 sqq.

2. Physic. auscult VI. 10, 240 b 18. Cf. lib. III, in quo Aristoteles demonstravit quod est individuum et simplex non fieri posse ut moveatur.

IV

Cum igitur Plato quæreret (1) utrum anima, quasi in intima parte corporis posita, in omnes corporis partes perfunderet, an extrinsecus posita corpus moveret, corpore igneo vel aerio sibi adscito; an etiam ipsa corpore destituta haberet aliunde quasdam vires miras quibus corpus moveret, Aristoteles contra aperte dixit animam per se quidem immobilem non posse a suo corpore sejungi, et cum illo nasci, et illud sibi informavisse ut in sua materia propriam sibi naturam efficeret; corporique conjungi non quocumque modo, sed natura et hac quidem causa quæ in rerum universitate palam fit, conjunctione scilicet qua forma et materia sua connectuntur; animam denique corpus movere eadem illa vi naturali quœ fit ex finali causa et actu.

Illa autem Aristotelis doctrina partim manat, ut ita dicam, ex his quæ apud Platonem et Pythagoricos reprehendebat. Illi enim animam conjungunt cum corpore, ponuntque eam in illo, inesse tamen modo statuunt quam ob causam et quo modo se habente corpore; dicere quidem qualis sit anima enituntur; de susceptivo corpore vero nihil dicunt et pertractant, quasi fieri posset ut quævis anima sine ullo discrimine quodvis corpus ingrederetur (2).

A quibus Empedocles (cujus argumentationem videtur suscepisse Aristoteles in prima parte libri qui de anima

1. Leges. X, 898 E.
2. De eanima. I. 407 b 15 sqq.

inscribitur (1) sane percontatus esset cur tollatur anima simul cum ratione omnium inter se corporis partium; cur præterea simul cum corpore debilitari anima videatur, nisi quia nihil aliud est anima quam admixtio aut ratio corporeæ admixtionis, aut quod efficitur ex corporis partibus admixtis (quæ in nulla alia parte magis quam in sanguine cordis, Empedoclis quidem judicio, sane permiscentur (2).

Sed Empedocles cum recte quidem sentiret « artem fibrilem in fistulas non posse ingredi » (3), non tamen animam satis determinavit nec discrevit ab illa admixtionis ratione quæ nullo modo vera causa dici potest. Tempore enim animæ corpus antecurrere videtur; sed non illa fit ex elementis corporis conjunctis. Si quis contra existimaverit actum (animam scilicet) potentia (corpore scilicet) priorem, bene quidem; cui rei ipse Empedocles testis adest cum ponit Amicitiam et Contentionem ante cætera (4). Necesse autem est tempore materiam generationemque formæ, ex ratione vero materiæ cujusque rei essentiam et formam anteire.

Cum Empedocles animam diceret aliquid esse quod e corpore manat, et, ut ait Tullius (5), « nihil nisi cordi suffusum sanguinem », cumque corpus forte fieri contenderet,

1. Ibid. 408 a 24 (Bonitzius, unus omnium qui commentaria veterum et recentiorum ediderunt, existimavit illum locum interpolari).
(2) Cf. Theophr. De Sensu, 10-11.
3. De anima, II, 2, ad finem.
4. Metaph. θ 1072 a 5; Cf. Met. A. 4. 984 b 32 sqq.
5. Tuscul. disput. I. 9.

animalium partibus ita casu conjunctis (1), ut anima ipsa forte fiat, — Aristoteles contra quærit quænam animantium prima causa esset nisi anima (2).

Plato enim docuerat corpus animæ anteire non posse (3); atqui Aristoteles ipse non hoc Physicæ oblitus est : τῶν πρός τι ἡ ὕλη. Elementorum materia similium partium corporis gratia exstat, similia dissimilium gratia, dissimilia animæ gratia (4).

Sed ratione quadam coeuntibus elementis jam fit aliquid; quod, nisi anima sane est, animæ quasi corporeum substratum est. Neque enim sine corpore proprio anima exstare posset.

Apud igitur Aristotelem duæ doctrinæ, altera Platonis, altera Empedoclis, ita de præstantia contendebant, ut necesse esset easdem illas in unam redigi. Itaque elatioris doctrinæ videbatur dicere : anima « quidditas » est corporis; corpus autem non est actus animæ, sed ea corporis alicujus est actus qui certo corpori logice antecurrit (5).

V

Si quis Platonis doctrinam penitus instrospexerit et explicaverit, incertum est an in libris ipsius Platonis prima illius doctrinæ delineamenta invenientur.

Aristoteles in suo de anima (6) libro dicit quo modo Em-

1. Cf. in Placitis, V. 19 ; et Emped. apud Simpl. de Cœlo, 512 Br.
2 De Generat. et Corr. II, 6. 333 b 10.
3. Leges X, 891 E, 896 E; Phæd. 245 C; Timœus 34 A.
4. De partibus animal. II, 1, 646 a 36.
5. De anima, II, 1, 412 b 11. — 414 a 18.
6. Ibid. I, 2, 404 b 18.

pedoclem eodem modo Platonem in Timæo censere animam ex elementis constare ; « nam numeri quidem formæ ipsæ et principia dicebantur » (1).

E Philebo (2) quidem suspicari licet illam pythagoricorum doctrinam quæ contendit finitum et infinitum elementa rerum esse, quasi cardinem esse totius dialecticæ, nec, Aristotele auctore, nescimus Platonem, cum jam supremos annos suos viveret, Ideas tum reducere ad numeros; unde vere dici posse videtur Platonem jam senescentem posuisse animam nihil aliud esse quam, ut apud Xenocratem dicitur, numericam ἁρμονίαν (« Xenocrates, ait Tullius (3), verum numerum dixit esse animam »).

Sed in vera ac mera Platonis doctrine, nec Ideæ sunt numeri, nec anima numerus se ipsum movens. Inest tantum similitudo quædam inter munus animæ et munus mathematicorum notionum (per quas, cum in iis resident quæ sub sensus subjecta sunt, intelliguntur ea quæ cadunt in cogitationem).

Anima stat enim media inter ea quæ intelliguntur et ea quæ apparent (φαινόμενα), amborumque particeps est. Cum intelligi potest, in principio suo, tum his quæ sub sensus subjecta sunt abdita latet, et illis immanet, nec tamen est corporea (4).

Anima quidem si numerum et mensuram habet (5)

1. Cf. Timæum, 35 C.
2. Phil. 16 C.
3. Tusc. I, X.
4. Sophist., 246 E; Phœdo, 79 A; Timæus, 36 E.
5. Phileb, 25 A.

nulla est alia causa nisi quod terminus est et principium finitarum rerum. Ex illa autem emanat et vita et motus una cum omnibus φαινομένοις quæ ex illo fiunt, et forma et finitum. Haud secus ac Idea, illa est incorporea et adversus « phænomenorum » multitudinem unitatem ponit ; et ut Idea ipsa est principium primum et naturæ antecedens. Sed hoc cum Idea discrepat quod non extra multitudinem est (quœ sub sensus est subjecta) et ex Ideis manat anima. Igitur haudmultum abest quin sit apud Platonem ut apud Aristotelemmera forma et causa quœ movet et causa finalis. Aristoteles autem, cum dicit Ideas quæ apud Platonem supra sen sus sunt, reapse formas esse, æternas quidem sed rebus insitas, animæ servavit locum medium et corpori præs lantiam.

CAPUT SECUNDUM

De variis animis.

Utrum unam animæ definitionem an complures necesse sit dare Aristoteles quærit. Quomodo autem dari possit aliqua definitio, quæ, quanquam una erit, omnibus tamen generibus animarum admodum conveniat?

Qualia cum Aristoteles quœreret, reipsa nihil aliud in dubio ponebat quam quid censendum sit de generibus animantium in natura separandis. Quam quidem quæstionem, cum nunc etiam in disceptationem venit, doctrina transfigurationis sive gallice « évolutionnisme » expedit, asserendo animantia serie continua propagari; rationis autem doctrina, sive « rationalisme », affirmando in natura esse gradus inter se diversos ac formas quæ nullo modo possunt aliæ in alias redigi.

Empedocles autem nostris ætatibus videretur « evolutionnismi » doctrinæ sectator, quam contra Plato fortasse respueret. Cum Empedocle Aristoteli plane convenit inter intervalla quibus sejunguntur omnia genera animantium esse permulta animantia quibus natura continuo progrediatur (1). « Soit dans la nature, soit dans l'homme, ait « Boutroux, Aristote montre partout la continuité, le déve- « loppement allant de l'inférieur au supérieur. Les plantes

1. Vide infra Caput IV.

« supposent les minéraux, les animaux les plantes, « l'homme les animaux, et l'homme n'est que l'achèvement « de l'être ébauché dans les productions inférieures de « la nature » (Cf. Empedoclis doctrinam quatuor generationum apud Ritter et Preller. Ed. sept. p. 142-143. — Apud etiam Pseudo-Plutarch. Placita phil. V. 19. 26. — Apud denique Renouvier « Manuel de philos. anc. » I. 173 et Aristotelem passim) (1). — « On ne voit pas quelle thèse scientifique de l'évolutionnisme serait incompatible avec la philosophie naturelle d'Aristote ».

Sed cum Aristoteles ipse complura esse genera animarum asserit, non probat tamen (quod apud Spencerum quemadmodum apud Empedoclem reperias) animas inter se differre quod loci in quibus nascuntur et producuntur animantia inter se differunt. Non est enim animal quasi planta ad altiorem gradum perfectionis adducta. Itaqu non recte Empedocles dixit plantarum generationem fuisse in mundo deminuto. Mundus enim apud Aristotelem « totum » quoddam efficit et ævo sempiterno præditus est; rdo ejus non mutatur; nihil in eo fit nisi finibus in angustum adductis (2).

Apud Platonem non ordo procedit naturæ ab inferioribus ad superiora animantia, sed potius a quadam priore perfectionis forma discedit (si quidem philosophis neoplatonicis danda fides ac ipsi Platoni in ejus mythicis, præsertimque in Timæo libris). Omnes enim animæ « eadem

1. Cf. Zeller. Trad. Boutr. p. 235, t. I.
2. De plantis, I, 2, 817 b 35.

« natura sunt (1) : nam ex eodem cratere hauriuntur ubi « demiurgius antea principia ad animam mundi effingen- « dam miscuerat; nisi quod deterior et minus pura est « mixtio secunda, ex qua animas singulas efficit; unde « conjicere licet Ideas in illa, materiem contra in hac præ- « valere; nihil enim præter hæc principia esse constat, « nullamque rem extra eorum mixturam existere posse... « Sed ex ista pejore mixtione unam tantum animæ partem, « rationem scilicet formari, ceteras vero partes, utpote « inferiores a diis minoribus atque creatis componendas « esse ».

A diis inferioribus creatisque manant tunc etiam bestiarum plantarumque animæ. Cognatam enim humanæ naturæ naturam aliis formis miscendo, dii serunt arbores (2). Hoc genus animantium cum particeps solum est tertiæ animi speciei cui sensus est jucunda et molesta percipiendi, tum cupiditates admittit. Alias Plato asserit animas hominum vilissimas in vilissima corpora transire, ut bestiarum et insectorum animæ fiant : omnes ergo animæ ejusdem naturæ illi esse videntur.

In hoc quidem est ambiguitas quœdam; sed hæc est mythica expositio, quæ illis tantum convenit qui opinionem habere volunt de mundo rerum quæ fiunt, seu « phænomenorum. » In mundo rerum quœ sunt immutabiles manent formæ. Quam immutabilitatem Aristoteles in mundo sensibili locat.

1. Couturat. De mythis Platonicis, p. 86
2 Timæus, 77 A sqq.

Unumquodque animalium formam habet immutabilem, sed idealem ad quam tendit et quæ ejus vitæ est causa finalis. Nec potest altius ascendere, nec inferius descendere quam illa forma permittit : in certis finibus ita collocatur (1).

Ita tamen fit ut ab infimo animantium usque ad Deum ipsum, natura continuam rerum seriem ostendat (quod ab Empedocle requirebatur); sed in formis immutabilibus magnam diversitatem (quod a Platone requirebatur).

Itaque nulla est vera omnium animarum definitio : ubi enim is perfectionis ordo reperitur, ut inferiora simul ac superiora inspicienda sint, ibi non definitio est, sed enumeratio in qua nulla est distributio per genera et species.

II

« Triplicem, ait Tullius (2), Plato finxit animam; cujus principatum, id est rationem, in capite sicut in arce posuit; et duas parere voluit, iram et cupiditatem; quas locis disclusis, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia, locavit. » Ut vero distinguuntur apud Platonem tria animarum genera : ἐπιθυμία, θυμός, νοῦς, ita apud Aristotelem etiam tres : nutritiva et sensitiva anima intellectusque; quomodo autem aliæ ad alias non omnino respondeant, ἐπιθυμία scilicet ad animam nutritivam, θυμός ad sensitivam potentiam, Νοῦς ad intellectum, infra passim videbitur.

1. Vide supra (cap. I.) quomodo Aristoteles de hac re Platonem sequatur, ut Platonis Ideæ principia sint quibus ea determinantur quæ sub sensus cadunt.

2. Tuscul. disput.

Etenim apud Platonem tres animæ partes sane distinguuntur (1); apud Aristotelem vero tres partes unam animam efficiunt. Anima in nulla parte corporis locatur, nisi in corde (quod ab Empedocle requiri videtur), et sanguinis modo, per totum corpus diffudit, ut formæ decet. Omnes in utraque parte animæ insunt facultates, atque in individuo corpore sub eadem specie collocantur quia non sejungi actu possunt. Anima enim quædam forma est quæ non dividi potest (2).

1. Cf. Rempubl. IV, 3, 6.
2. De anima, I. 5, 411 b 20.

CAPUT TERTIUM

De anima nutritiva.

I

Forma non potest esse sine materia, nec anima superior sine inferiore; sed inferior sine superiore potest. Anima enim nutritiva sola in multis animantibus reperiri potest : hæc quidem a sentiendi principio sejungitur in plantis (1).

Eadem anima est alendi et generandi facultas (2).

Empedocles non discrevit plures animas; sed plantis principium quoddam tribuit, quod nobis animam vocare licet. Plantas enim, si Aristoteli quidem credimus, asseruit ille desiderio duci et sentire et tristitia voluptateque affici (3).

Ἔνιοι δέ, ait Simplicius (4), [τὰ ἄλογα ἐδόκουν ταῖς λογικαῖς ζωῶν ψυχαῖς] καὶ τὰ φυτὰ ὡς Ἐμπεδοκλῆς, οὕτω δ' ἂν καὶ τὸ κινητικὸν κατὰ τόπον καὶ τὸ αἰσθητικὸν καὶ πρός γε τὸ νοητικὸν πάσαις ἥρμοττε ψυχαῖς. Quæ quidem cum affirmaret, videtur ille longius excessisse.

Empedocles enim hoc tantum asserebat cuicumque corpori animantis animam esse, ideoque plantis ac animalibus.

1. De an. I. 5, 411 b 30; II, 2, 3; 413 a 31; 414 b 31.
2. Ibid. II. 4, 416 a 19.
3. De plantis 815 a, initio. (Hic liber quidem non Aristotelis esse videtur, sed ad Aristotelis doctrinam exquirendam tamen valet).
4. Comment. De an. Ed. Hayduck, p. 72, 19 b 2, ad 410 b 24.

Eadem quoque ratione Aristoteles dicit elementis rerum non esse animam, quod non sunt ὀργανικὰ σώματα, sed animam plantis tribuit.

Nec verum appetitum, nec sensum plantæ habere possunt; appetitus enim non aliunde quam e sensu oritur; non igitur sensum in plantis deprehendimus, nec partem quæ sentiat, nec viam ad aliquod sensibile. Cum autem sensorio careant plantæ, sensum ipsas habere non admittendum videtur.

Appetitio tamen quædam eis tribui potest, (quam elementis ipsis non negat esse Aristoteles); sed illa confunditur cum alendi augendique facultate, quæ plantis negari non potest ab Aristotele : signa enim habent quibus ali sine ullo dubio apparent et crescere aperte deprehenduntur.

II

Empedocles vero ordinem perfectionum non satis inspexisse videtur. Sexum, ut exemplo utamur, mixtum plantis esse arbitratus est, quo fit ut simul femineus ac masculinus sexus in eis reperiatur. Quod quidem non Aristoteles verum esse omnino negat, sed alio modo verum esse putat. Nam quæ res permiscentur primo simplices in se esse debent, ut scilicet sit per se masculus et per se feminea, deinde commiscentur. Actus enim dividit priusquam confundat.

Sed non invenitur masculina natura actu in ulla planta femineæ conjuncta naturæ; quod si esset, planta animali

esset perfectior. Hoc autem fieri non potest, ut quod evidentiæ repugnet.

Quomodo enim plantæ præ animalibus majorem facultatem haberent? Rectius diceretur in plantis nullum esse genus distinguendum (1). Propagantur tamen, quia appetitio nutriendi non ab appetitione immortalitatis sejungi potest. Cum enim animantia non possunt nec semper esse, nec divinam conditionem vita continua consequi, attamen illam divinam vitam appetunt, nec eadem permanent, sed propagantur.

Fieri autem non potest ut quicquam caducorum ac mortalium elementorum semper idem permaneat, ideoque ad hoc tendunt animantia, quantum in se est, ut una permaneant non numero quidem, sed specie (2).

Quod Empedocles non dixerat, sed ante Aristotelem Plato jam indicabat, quem nunc apud nos quidam philosophi partim secuti sunt, ut videtur, inter quos, exempli causa, Secretanus cum scripsit : « La génération est l'acte par lequel la vie de l'espèce s'affranchit des barrières de l'individualité ». Ubi igitur Empedocles solum vidit conditiones a materia ortas generandi, ibi Plato et Aristoteles causam finalem præsertim quæsiere, id est apud Aristotelem animam nutritivam, et in ea appetitionem quamdam.

1. De Generat. animal, I. XXIII, ἐν δὲ τοῖς φυτοῖς μεμιγμέναι αὗται α δυυάμεις εἰσι, καὶ οὐ κεχώρισται τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος.
2. De an. 415 b 8.

III

Sed Empedocles et Plato erraverunt, cum ambo appetitu et cupiditate et amore, et sensu jucundarum et molestarum rerum, plantas duci affirmaverunt (1). Plato tamen appetitum plantis tribuit ob vehementem facultatis alendi necessitatem, et planta particeps esse videtur illius tertiæ animæ speciei, cui nihil opinionis quidem et ratiocinationis et mentis impertitur.

Itaque si non admittit omnino Aristoteles illam Platonis doctrinam, eamdem tamen quodam modo suæ accommodat. — Appetitio enim nutriendi est, ut vere loquamur, anima nutritiva ipsa, id est quasi vehemens necessitas alendi, quæ ab appetitu et desiderio et amore paulum differt. Sed apud Aristotelem appetitus et desiderium et amor non possunt sine sensu esse, ideo quod ex sensitiva anima pendent.

Quanquam autem optime Empedocles cognovit quales sint alendi conditiones quædam, non tamen intelligere potuit quo pacto nutritio fiat, quia actum a potentia non discernebat et materiæ tribuebat quod ad animam pertinebat. Itaque non recte dixit incrementa plantas accipere tum in radicibus infra, tum in ramis supra, quia terra deorsum et ignis sursum, suapte natura, pergat. Quid est, dicit Aristoteles, quod contineat terram ignemve, quæ qui-

1. Cf. Timœum, 77 B.

dem elementa in contraria loca feruntur? Distrahuntur enim. Non est amor aut contentio, nec vero elementa, sed anima ipsa, quæ ita fit augendi ac nutriendi causa.

Empedocle vero auctore, sunt qui dicant similia similibus nutriri. Sed similia a similibus pati non possunt. Necesse est ergo alimentum mutari : itaque instrumentum ab eo aliquid patitur quo alitur, quia hoc est ei contrarium. Si quatenus incoctum est consideratur, contrarium contrario alitur ; si quatenus concoctum, simile simili hoc pacto nutritur (1). Itaque Empedocles simul recte et non recte dixit.

Recte dixit quoque ignem in nutritione quodam modo valere, sed non recte primas partes ei assignavit. Per ignem enim efficitur transitus a potentia ad actum. Itaque omnia animantia in se calorem habent (2).

Ignis partes illorum colligit donec absolvatur eorum generatio. Ex igitur victoria siccitatis sequitur in omni animali digestio. Itaque ignis συναίτιον vocatur et ab eo quod ἁπλῶς αἴτιον est distinguitur (3). Quod enim adjuvans causa est, hoc ipso non simplex et per se est causa : comitatur veram causam, id est animam.

Plantis autem inest motus quo finitur quodam modo digestio; ignis vero est concoctionis aut digestionis causa simul atque omnium motuum; itaque solis calor apud plantas locum habet hujus caloris naturalis (θερμοῦ σύμφυτου qui animalibus inest.

1. De anima, II, 4, 416 a 30.
2. Ibid. 416 c 20. b
3. Cf. de plan tis II, 822 a 15; De anima II, 4, 416 a 14.

Sæpe infra nobis habendus erit calor congenitalis in corpore causa adjuvans hujus quod efficit anima; toties autem nobis dicendus erit Empedocles apud Aristotelem auctoritate valuisse.

CAPUT QUARTUM

De anima sensitiva.

I

Natura continuo ab inanimatis rebus procedit ad animalia : transitus autem fit per quædam quæ, quanquam sunt vita prædita, non tamen sunt animalia; ita ut ea quibus efficitur transitus inter se paululum eo differre videantur quod propinqua inter se sunt.

Totum autem plantarum genus, si quis illud cum ceteris generibus contulerit, vita præditum esse ; si cum animalibus, inanimatum esse videbitur. Transitus ergo ita continuus fit ut nonnulla quæ in mare versantur dubites utrum animalia sint an plantæ; sensuum enim officia in quibusdam crustatorum nullo modo deprehendi possunt, in quibusdam autem aliis apparent indiciis dubiis (1).

A planta animal sejungitur anima sensitiva. Hæc est causa finalis sensus, quatenus hoc ipsum est quod sensoriis efficitur. Sensus hoc est quod objectum in subjecto efficit. Quomodo igitur res ad animam informandam valere possunt ?

Apud Democritum videtur pati subjectum quod sentit, cum hoc quod ultimum agit per quosdam meatus in subjectum se insinuat. Ac etiam licet per aerem et aquam et

1. Histor. animal., 588 b 4, 12. ; De part. animal, 681 a 12.

ea quæ translucida sunt res ipsas videri, quia in illis sint meatus, quos non possumus ob tenuitatem discernere, qui tamen permulti et ex ordine quodam dispositi insunt in rebus maxime quœ perspicua dilucidaque sunt. Eodem quidem pacto Empedocles sensus fieri ait; at subjicit quoque ea sola misceri fluxa elementa (ἀπόρροαι) quorum pori ac meatus omnino sunt consimiles (1).

Hoc modo Empedocles, si Theophrasto (2) quidem credimus, dicitur putasse sensus agere ac cognitionem fieri : ille enim ait non fieri posse admixtionem, nisi cum meatus accommodantur. Plato (3) quoque testis adest Empedoclem docere esse quædam quæ a rebus manant, alia quidem majora, aliaque minora, poris congruentia : unde sequitur ut color sit figurarum defluxus visui congruens. In qua re non vere aliquid pati aut agere dicere possumus, sed similia aliis alia congruere. Similia enim similibus cognoscuntur. « Terram terra, lympha undam, æthera æthere, ignisque igne cognoscimus » (4).

II

Præterea, secundum Platonem, animæ cum sint corporibus necessitate insitæ, necesse est principio sensum e corporis vehementibus affectionibus oriri. Initio igitur sensus ex hoc fit quod anima corpore perturbatur. Etenim

1. De Generat. et Corrupt. I, 324 b 26 sqq. — Cf. Emped. vers. 281-286, Stein, 337-342, Mullach.

2. De sensu § 12.

3. Meno 76 C.

4. Empedocles vers. 333 St.. 378 Mull.

toties magna perturbatio efficitur, quoties ad ignem aut ad solidam rem humidamve incurrit corpus, aut turbine ventorum corripitur; quibus effectis, perlati per corpus motus in animam perveniunt (1).

Cum res ita sensibus notæ fiant, repugnante veritate, Plato sensus ipsos dicit esse falsos ac insipientes (2) : qua re certe ab Empedocle abest. Empedoclis tamen et Platonis sententiæ congruunt cum exponunt quomodo sensus fiant. Nam uterque dicit eorum causam inesse admixtioni elementorum quæ nonnunquam simul ex exteriore et ex interiore parte veniunt (3). In Timæo enim suo Plato, exempli gratia, ait oculos ex igne constitutos, intus præterea inesse ignem sincerum qui per oculos fluit, ac quoties lux diurna circumducit visus flumen, toties ex similibus ad similia allatis fit unum corpus. Illud si quid attingit aut si qua re attingitur, motus, cum per omne corpus ad animam adfertur, sensum efficit.

Sed uterque, Empedoclem dico et Platonem, erraverunt. Nec enim ullius corporis est defluxus (4), neque ulla est admixtio, nam in natura res non fiunt ex tam corporea ratione.

Non recte quidem dixit Empedocles lumen deferri atque extendi, nosque id latere; lumen enim non est corpus quod-

1. Timœus 43 C. — E. Biach (Aristoteles Lehre von der sinnlichen Erkenntniss in ihrer Abhangigkeit von Plato, in Philos. Monatsch. — 1890, XXVI B. Heft 5 und 6) locos de anima III, 2, 426 a 29 sqq. Tim, 64 D et Phileb. 31D. cum illo loco confert.
2. Tim, 44 A.
3. Tim, 45 D.
4. De anima II, 422 a 15, 418 b 15.

dam, sed actus « perspicui » (διαφανοῦς); nec possent illud efficere defluxus rerum qui ad oculos colores deferrent (ἀπορροαὶ).

III

Sentire quodam modo est pati, sed non omnino pati (1). Sensus est quod sensibiles sine materia formas suscipere potest; perinde ac cera signum annuli sine ferro vel auro accepit (2).

Subjectum enim quod sentit tale est potentia quale jam objectum ipsum sensibile est actu (3). Quoties autem subjectum illud a potentia transit ad actum, toties simul patitur, nec patitur; patitur enim quia ea quœ extra sunt impellunt ad agendum; sed quod per se agit non patitur (ut cera quidem in qua nulla est actio). Itaque τὸ αἰσθητικὸν οὐ πάσχει οὐδ' ἀλλοιοῦται (4).

Similia igitur sunt sentire et contemplari : hoc tamen differunt quod ea quæ, cum actu sunt, apud animam sensitivam valent ut illa actu fiat externa sunt, visibilia scilicet et audibilia et sensibilia cætera.

Itaque sensoria imprimuntur quibusdam corporibus mediis (μέσοις). Necesse est enim quædam « media » esse omnibus sensibus ; nam nihil sentimus nisi medio aliquo in

1. De anima II, 11, 423 b 31; III, 4, 429 a 14.
2. Ibid. 12, 424 a 18; III, 2, 425 b 23 « Aristoteles, ait Biach, loc. cit, steh in diesen Ausführungen ganz auf dem Boden Plato's. Cf. Theætet, 191 D... δακτυλίων σημεῖα ἐνσημαινομένους..κτλ.
3. De an. II, 5, 413 a 4.
4. De an, III, 7, 431 a 5.

nos agente (1 Media autem sunt potentia diversæ qualitates sensibiles ; cum actu fiunt, efficiunt ut subjectum a potentia ad actum transeat (2).

IV

Sunt igitur quatuor primæ qualitates quibus rerum elementa discernuntur : calidum et frigidum et siccum et humidum (3). Empedocles vero quatuor elementa discernebat ; aera et ignem et aquam et terram : aer autem apud Aristotelem ex calido et humido fit, ignis ex calido et sicco, aqua ex frigido et humido, terra denique ex frigido et sicco (4).

Quomodo nunc Empedocles recte dixit similia similibus cognosci ? Nempe quemadmodum similia similibus ali et augeri Aristoteles planum facit : Assignare enim oportet et accommodare unumquodque sensorium uni elemento. Sed non sunt oculi ignis, nec olfactus aer ; nec recte Plato asseruit oculum inter omnia sensoria solis simillimum esse. Nam quod sentiendi vim obtinet, id potentia est quod sensus actu : sensus autem actu similis hujus est quod sensibile actu est, potentiaque est actus quodam modo contrarium. Itaque sensoria sunt contraria sensibilium rerum.

1. De an, II, 11, 423 b 12.
2. Ibid. III, 1, 424 b 27.
3. Ibid. II, 11, 423 b 28.
4. De Generat et Corrupt. II, 3, 330 b 25.

Oculi enim pars cui videndi facultas inest ex aqua facta existimanda est, ex aere vero id quod sonos percipit, et olfactus ex igni, id autem cui tangendi facultas ex terra (gustus tandem genus quoddam tactus est) (1).

Sed quædam sensuum instrumenta tantum quasi « media » sunt. Proprium enim ac peculiare olfactus sensorium in cerebro situm est : nam rei frigidæ materia est potentia calida; oculus ex cerebro efficitur, quod inter omnes corporis partes illa est humidissima frigidissimaque; sensorium præterea gustus et tactus haud procul a corde abest, nam cor pars calidissima est (2).

Ita fit ut omnia e quibus oritur quod apud nos vocari solet « physiologie des sens », ex hoc constent quo contraria ad contraria transeunt, et a potentia ad actum; frigidum scilicet ad calidum, humidum ad siccum. Omnes enim quæ sunt inter extrema sensibilia qualitates ex illis admixtis fiunt; ac, ut exemplo utamur, ex albo et nigro, prout plus minus miscentur, ceteri colores fiunt. Quod idem jam antea dixerat Plato, hoc tamen excepto, quod primum ducebat esse colorem (præter album et nigrum) quoque rubrum (ερυθρὸν) (3).

Ita fit quoque ut per sensus ea quæ sunt noscere possimus, cum similibus similia noscantur (quod Empedocli placebat, ut antea dictum est). Sed non per se sensus cognos-

1. De sensu, 2, 438 b. 18.
2. Ibid. 438-439.
3. Tim, 68 b.

cunt; anima vero cognoscit per sensus (quod Platoni placebat) nam corporeæ causæ ad sensum explicandum non valent.

Ac etiam non solum sunt sensibilia propria; sunt quoque communia. Præter enim quatuor elementa sunt, exempli gratia, magnitudo et figura, quæ quidem sunt omnibus communia, visui saltem et tactui (1); ac non sensu quodam perspiciuntur qui propria sibi perspiciat, sed eodem illo quo sentimus in mathematicis quid sit triangulum (2).

Ac necesse est nos amplitudinem et motum per partem eam animæ cognoscere per quam et tempus et numerum. Unde sequitur ut horum cognitio ad quemdam primarium sensum pertineat (3). Quem sensum inesse animalibus et hominibus necesse est, cum per illum discernamus ac sentiamus quæque sensibilia inter se differre.

Fieri enim non potest ut per diversos sensus discernamus dulce differre ab albo, sed per unum sensum oportet utrumque cognoscatur. Quatenus igitur hic sensus dividi potest, in ceteros sensus perfluit; unum tamen permanet ceterisque præstat (4).

Simili quoque modo Plato quærebat quanam facultate cognoscatur quod sit omnibus sensibus commune (5) et ei videbatur anima maxime idonea ad ea quæ sunt omnibus

1. De sensu, 4, 442 b 4, 442 a 27. Cf. 438 b 5.
2. Eth. Nic. VI, 9, 1142 a 27.
3. De memor, I, 450 a 20.
4. De an, III, 2, 426 b 10, 427 a.
5. Theætet, 185 D.

sensibus communia perspicienda. Anima autem sensitiva apud Aristotelem est sensus ille communis quo animal et audire se et videre sentit, et ille non tantum adjungitur omnibus sensibus, sed maxime cum tactu conjungitur (1).

Biachus in libello suo (Aristoteles Lehre von der sinnlichen Erkenntinss in ihrer Abhangigkeit von Plato ; in Philosophische Monatsheft XXVI, Heft. 5 und 6, 1890, Heidelberg) demonstrare conatur quomodo pleræque doctrinæ ab Aristotele de sensibus editæ vel reddant vel corrigant Platonis doctrinas. (Non quidem apud illum negat Empedoclem valuisse; quod etiam asserit, sed non probat).

Idem ille Biachus dicit Aristotelis doctrinam e qua sensibilis impressio similis sit figuræ annuli in cera relictæ, in Theæteto reperiri (191 D). Illa autem e qua sensus communis necesse sit ad ea quæ dant diversi sensus recipienda, initium ac originem habet in Theæteti locis quos supra retulimus. Ac potentiæ et actus oppositio in Platone reperitur cum opponuntur ἐπιστήμης ἕξις et επιστημης κτῆσις (2).

Et sensationem quidem esse actum communem et corporis et animæ, sive « psychophysischer natur » cum Aristoteles dixerit, ille sane idem dixit atque Plato in Philebo (3); sed cum sensationem actum esse communem et sensibilis et sentientis dixerit, tum non tam admonet de Theæteti loco qui affirmat sensationem et rem sensibilem ὁμόγονους esse (4); sensationem vero dicere rationem

1. De somno, 456 b. 10.
2. Theœt., 196 A.
3. Phileb., 33 D, 34 A. Cf. de sensu, I, 436 a 6. De somno, 1, 454 a 7.
4. Theœt., 156 B.

esse quæ deleri possit cum sensibile aut supersit aut desit, forsitan, ut dicit apud nos Fouillée, hoc est « rappeler par beaucoup de traits l'analyse déliée de la sensation que contient le Théétète d'après les principes des Ioniens et des Protagoras (1) » ; sed non est Platonis aliquam doctrinam referre.

Biachus igitur optime admonuit Aristotelem doctrinas quasdam falsas Platonis magistri admisisse, inter quas illam quæ ad sonum pertinet cum motu collatum (2). (Cf. de an II. 8, 420 a 30); sed ea res minime interest, et ut dixit Zeller (3), non satis Biachus recte judicavit de Aristotelis doctrinæ novitate.

V

Sed animæ sensitivæ est aliquod corporeum substratum cujus illa quasi forma est : cor scilicet in quo motus sensusque habent et originem et initium. Principium enim motuum et spiritus et refrigerationis et calefactionis in corde situm est. Cerebrum quidem non valet nisi ad motus transferendos; suapte enim natura frigidum est, et sanguis qui circumfluit in ejus venulis tenuis quidem est purusque, sed pronus ad refrigerendum (4).

In corde igitur omnibus sensoriis commune sensorium

1. Cf. 182 A sqq.
2. Tim, 67 B.
3. In Archiv. fur Gesch. d. Phil.
4. De somno. 456 a 5 sqq.

sit necesse est (1). Quanto magis tenuis et purus est sanguis, tanto perfectior sensus. Itaque somnus sequitur semper capitis gravedinem quœ fit sanguine mixto; quamobren somnus maxime post cibum absumptum fieri solet : tunc enim copiosus humor corporeus sursum ascendit ; ac perdurat somnus donec sanguis purus ad partes superiores, turbatus vero ad inferiores immissus erit. Somnus autem ita definitur : impotentia sensuum (2).

Inde sequi videtur hoc quod est Empedoclis, sensus exquisitiores esse qui ad partes respondent quarum sanguis est purior (3). Sanguis enim cum agitatur, officium sentiendi intercipit atque deflectit. Quibus causis sedes sensuum capiti tribuitur.

Itaque sinceritate differt videndi sensus a tactu, auditus et odoratus a gustu ; audiendi denique sensus obtusior est quam videndi sensus, quia longius absit a cerebro (4).

In hac igitur omni doctrina sensuum, ea sunt Aristotelis quæ ad potentiæ et actus considerationem pertinent, quibus nihil est uberius. Sed maxima hujus doctrinæ pars de Empedoclis præceptis assumitur.

Quod quidem fieri necesse erat cum Aritoteles sensibus partes legitimas redderet. Quomodo enim demonstrari potest quid valeant sensus ad veritatem inveniendam, nisi planum faciendo animam fieri similem iis rebus quæ ei

1. De mem, 469 a 10.
2. De somno, 456 b 10.
3. De part, animal, II, 656 b 3. Cf. Emped. Vers. 327 St., 372 Mul., Theoph, de sensu 10, Plutarch. apud. Euseb. Prœp. I, 8, 10.
4. Eth. Nic. X, 5, 1176 a. — Probl. VII, 886 b 32.

cognoscendæ sunt, ac etiam animam sensitivam easdem ipsas accipere formas quas elementa ? Quo enim solo modo fieri potest cognitio, quœ semper in hoc constabit quod subjectum et objectum unum atque idem sunt.

Itaque porro cum sensibilibus formis insint ea quæ intelligi possunt, neque penitus natura inter se differant, facile intelligi potest sensus esse quædam disceptatrix facultas : ἡ αἴσθησις κριτικὴ δύναμις (1). Sensibiles enim formæ indicant quæ intelligi possunt.

VII

Memoria et cogitatio arcte cum sensu quasi colligantur. Biachus autem optime ostendit quomodo Aristoteles plerumque Platonis quasdam sententias retulerit in hac parte suæ ad animam pertinentis doctrinæ. Cum enim Aristoteles (2) memoriam dicit esse sensibilem impressionem repetitam nos admonet locorum Theæteti et Philebi (3) in quibus anima tabulæ confertur aut libello. Cum præterea docet illam esse quasi quoddam residuum e motibus re sensibili effectis (4) nos admonet locorum Timæi (45 E) et Philebi (34 A).

Cum denique μνημονεύειν secernit ab ἀναμιμνήσκεσθαι, μνήμην

1. Analyt. post. 99 b 31-35.
2. De mem. I, 450 a 30.
3. Theœt, 191 c. Phil. 38 E.
4. De mem, 451 a 14.

dicens actum communem esse corporis et animæ (1), nos admonet Platonis doctrinæ σωτηρίας et illius Philebi loci (34 C) in quo ἀνάμνησις existimatur esse animæ actum, deficiente corporis auxilio. Sed non obliviscendum est apud Aristotelem memoriam non intelligentis animæ nisi quodam casu esse (κατὰ συμβεβηκὸς et vere ac proprie, ad sensorium commune referri (2).

Locus etiam qui ad « idearum conjunctionem » pertinet (3) apud Aristotelem conferendus est cum Phædone (74 A).

Ex Aristotelis quidem sententia, memoria sejungi non potest a « phantasia » quæ sit aut sensibilis (αἰσθητική) aut rationalis (λογιστική). Quas Plato non secernit; phantasiam enim cum opinione confundit. Ille quidem locus Timæi (45E-46A) in quo dicitur in somno motus intimos imagines gignere eodem numero et ejusdem naturæ atque res vel intimæ vel externæ, cum verbis conferendus est Aristotelis ad phantasiam vel in vigilia vel in somno pertinentibus. Aristotele præterea et Platone auctoribus, sensibus oritur phantasia (4). Sed cum Plato phantasiam dicit opinionem esse e sensibus et memoria ortam (Sophist. 264 a), Aristoteles contra opinionem dicit esse phantasiam cum fide conjunctam, quam si cum ratione aut contuitu conjungitur, asserit scientiæ præparationem esse. Hoc uno enim

1 De mem, 2, 451 a 31.
2. Ibid. 450 a 25.
3. Ibid. 450 b 18, 452 a 17.
4. Phileb, 38 B.; Rhet. II, 1370 a 28.

differt opinio a discursiva cogitatione quod nondum est affirmatio (1).

Decebat enim opinionem non esse apud Aristotelem ut apud Platonem, hoc quod medium stat inter esse et non esse, inter veritatem et errorem. Cum enim sensus vera dicant, phantasiæ inest quædam veritatis pars, quanquam potest vera aut falsa esse ut ratiocinatio. Sed bestiæ phantasiæ, non opinionis participes fiunt quia solis hominibus impertitur fides.

1. Eth. Nic. VI, 10, 1642 b 12.

CAPUT QUINTUM

De intellectu.

Aristoteles Empedoclem reprehendit quod is censuerit idem esse sapere et sentire (1). Empedocles tamen videtur intellegentiam a sensu discrevisse; apud eum enim φιλότης est « τήν σὺν νόῳ δέρκευ μηδ' ὄμμασιν ἧσο τεθηπώς » (2). Sed hæc non clarissime discernuntur, ita ut Theophrastus recte judicasse videatur cum dixit : ἢ ταυτὸν ἢ παραπλήσιον ὂν τῇ αἰσθήσει τὴν φρόνησιν.

Fieri enim non poterat ut optime teneret quid esset intellectus Empedocles, ut qui crederet animam esse quod efficiatur ex mixtis ordinatisque corporibus, et cum altiori anima puriorem sanguinem congruere :

αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικαρδίον ἐστι νόημα (3).

Ex Platone vero maxime pendet Aristotelis doctrina de

1. De an. III, 3, 427 a 22.
2. Cf. apud Zellerum. Boutr. II, 245 notas 2, 3. Vers. 49-53 Mullach.
3. Vers. 315 Mullach.

intellectu. Formarum enim quæ cadunt sub intellegentiam doctrina nascitur ex Idearum apud Platonem doctrina; quam præcipue Aristoteles reprehendit quod ea quæ sentiuntur ab iis quæ intelliguntur penitus secernere videatur. Quibus exceptis, Platonem sequitur Aristoteles magis etiam quam ipse confitetur.

Ea vero quæ sub intellegentiam cadunt illi superiori animæ parti, quemadmodum sunt in mundo horum quæ sentiuntur, insunt. Intellectio enim est ipse intellectus (1); intellectus autem non differt ab eo quod intelligitur; intellectus ergo potentia quidem est quodam modo τὰ νοητά ipsa (2). Est ejusdem ac unius scientiae (metaphysices scilicet, potius quam doctrinæ ad animam pertinentis) tam de intellectu quam de rebus quæ intelligi possunt docere (3).

In intellectione autem, non e se ipso egreditur intellectus : in semet sese revolvens, ut ait Plato in Timæo (4), nulla re interposita, summam veritatem consequitur.

II

Anima intellegens, secundum Platonem, una est trium partium totius animæ humanæ : ejusdem est cogitatio (διάνοια) et intellectio (νόησις), quemadmodum apud Aristotelem intellectus est τὸ διανοητικόν τε καὶ ὁ νοῦς (5). Plato enim jam discernebat διάνοιαν, quæ inter opinionem et in-

1. De an. I, 3, 407 a 8; Met. Λ. 9, 1075 a 4, 1074 b 21.
2. Ibid. III, 4, 429 b. 31.
3. De part. animal, I, 641 b 1.
4. Tim. 37 B.
5. De an, II 414 b 18.

tellectum mediam partem obtinet, et νόησιν quæ nulla re media interposita, ut supra diximus, ad ea ascendit quæ intelligi possunt. Eodem modo Aristoteles asserit errorem inveniri posse in cogitatione, non in intellectu (1).

Sed in intellectu, Aristoteles discernit potentiam et actum, sive Intellectum qui agit et Intellectum qui patitur (Νοῦν ποιητικόν και νοῦν παθητικόν). Plurimum quidem dubitatur de illa ad intellectum pertinente doctrina ac præsertim utrum immortalis sit intellectus necne; utrum aliqua pars animæ sejungi possit a corpore necne, quod non sit ἐντελέχεια ullius partis ulliusve corporis (2).

Ab enim Platone ducebatur Aristoteles ad formas puras ponendas quæ sub intellegentiam tantum cadere possint; ab aliis contra ad censendum nunquam, nisi in Deo, ullam esse formam quæ a materia et corpore sejungi posset.

Aristoteles autem asserit cum intellectui nullum esse corporeum instrumentum (3) quod sit illius propria materia, tum intellectum a corpore sejungi posse (4); illa denique quæ efficit intellectus nullo modo iis quæ corpus agit congruere (5). In qua parte doctrinæ suæ, Platonem sequitur.

Sed quoque negat intellectum unquam cogitare posse, deficiente imagine, aut movere sine appetitione (6); dicit

1. Cf. Met. V. 1027 b 27.; Anal. post. II, 100 b 5.
2. De an. II, 1, ad finem.
3. De an. III, 4, 429 a 27.
4. Ibid. 429 b 5.
5. De anim. gener. II, 3, 735 b 25 sqq.
6. De an. III, 7, 431 a 17.

etiam semper in sensibilibus formis omnes formas quæ tantum intelligi possunt inquirendas esse; unde fit ut quicunque contemplatur necesse sit imaginibus utatur (1). In qua igitur parte doctrinæ sequitur Empedoclem et sibi ipsi consentire videtur.

III

Non tamen ita intellectus ab aliis animis differt ut non ipse quodam modo cum corporeo principio rationem quemdam habeat. Nam apud Aristotelem animæ unaquæque pars cujusdam corporis particeps est, quod inde divinius est quam ipsa elementa. Sed prout quoque anima egregia aut vilis est, corporis quo vehitur natura variatur. Nam diversæ animæ partes distingui possunt ex « spiritus » qualitate qui, nomine calor, omnibus seminibus inest quibus fecunda efficiuntur semina feminea (2).

Quare corpus illud non est ignis, nec qualiacunque facultas, sed tantum « spiritus », cujus natura cum stellarum congruit. In illis autem quibus inest pars quædam divina (Νοῦς ποιητικός, θεῖος, ἀθάνατος) semen animale partim sejungi potest a corpore. Unde fit ut intellectus dicatur extranea esse ab origine ac solus ex deo oriri [τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι] (3).

Quale autem est illud corpus a quo vehitur intellectus?

1. De Anima III, 8, 432 a 7. Cf. quid de memoria dicat Arist. in De sensu 450 a 10 sqq :

Ea memoria vero quæ est de rebus quæ intelligi possunt, non sine phantasmate esse potest.

2. De animal general. II, 6, 741 b. 36; 5, 3, 736 b. 30, 737 a 8.

3. Ibid. 736 a 28.

Quod si fit e stellarum substantia ætherеum est, cum æther vocetur ab Aristotele substantia stellarum.

Empedocles autem dicebat per æthera fieri respirationem, indeque vitam. Ac videtur nihil differre τὸ πνεῦμα apud Aristotelem ab æthere apud Empedoclem (1), et idem πνεῦμα aut æther aut « spiritus » ab illo corpore quo vehitur intellectus.

In rebus vero naturæ spiritus ad diversa prodest; sed necesse est fateamur illum præcipue ut instrumentum usurpari (2). Itaque recte dicitur τό πνεῦμα animæ instrumentum esse et medium stare inter corpus et animam, quia sit omnium corporum maxime subtile.

Ac cum se moveat citissime, necesse est vehementissimum sit (3). Spiritus autem locus est, Aristotelis quidem sententia, in corde (4). In sanguine igitur spiritus maxime sincerus est, ac omnium corporum, ut ita dixerimus, maxime incorporeum [ἀσωματότατον τῶν ἄλλων] (5).

A nutritione ergo usque ad intellectum est substratum omnium animæ facultatum.

1. « Inter œtherem et aerem, dicit Ritter, p. 139, parum distinxit Empedocles. Sed apparet dici aerem tenuiorem cœli stellati, quo mundus omnis cingitur. » Cf. Emped., ap. Clem. Strom. V. 674. P. Τιτὰν ἠδ' αἰθὴρ σφίγγων πέρι κύκλον ἅπαντα.

2. Cf de anima. gen. 736 b 37, 789 b 10.

3. Meteorol. II, 8, 366. b 30.

4. De Somno, 456 a 7.

5. Sic Democritus de anima loquitur (Cf, Aristot. de an, I, 5. 409 b 21).

CAPUT SEXTUM

De spiritu apud Hippocratem.

Spiritus (πνεῦματος) notio magis ex hippocraticis scriptis manat quam ex Empedoclis ipsa doctrina. Hippocrates autem in sua de anima doctrina conjungebat ac conciliabat ea quæ dixerant et Empedocles et Pythagorici et Diogenes Apolloniates (is enim contendebat omnes morbos exstare quod in sanguine aut superesset aut deesset aer) (1).

Ac fortasse Hippocrates illum doctrinam prodiit qua anima sit harmonia, et illi Aristoteles fortasse occurrit in prima parte sui de Anima libri, quanquam non longe abest quin quodam modo eadem sentiat. Themistius enim dicit: « Οἱ λέγοντες ἁρμονίαν τὴν ψυχὴν οὔτε ἔγγυς οὔτε πόρρω ἁγαν τῆς ἀληθείας ». « Οἱ λέγοντες » quidem non designare videtur Pythagoricos nec Heraclitum, ut nonnulli putant, sed illos medicos qui Empedoclem secuti sunt, id est præsertim Hippocraticos.

In quarto vero capite primi libri de Anima Aristoteles reprehendit illam de « anima-harmonia » doctrinam, quam jam Plato in Phædone et Aristoteles ipse in Eudemo suo (si

1. Cf. Weygoldt, in Arch. f. gesch. der Philos.

quidem Simplicio (1) et Philopono (2) credimus) jam refellerant.

Idem ille Philoponus (3) Pythagoricorum dicit esse eam doctrinam, quod nimirum a Pythagorico quodam philosopho, Simmias nomine, in Phœdone defendatur. Sed Zellerus optime nos admonet nullo argumento Philoponi opinionem confirmari quo nobis probetur.

Aristoteles autem, cum refellit illam sententiam quæ animam cum harmonia confundit, Empedoclem increpat (4); quo plane apparet quam sint affines doctrinæ ex qua anima sit harmonia et Empedoclis ipsius doctrina (Cf. etiam De Gener. et Corrupt. II, 6, 333 b 9, 334 a 1; Phys. II. 4, 196 a 19, VIII, 1, 252 a 5, de Amore ut causa harmoniœ et admixtionis). Sed illa doctrina, cum non sit omnino Empedoclis, nec tamen ullius antecessorum quos nominavit Aristoteles, Empedoclis discipulorum hippocraticorum esse videtur. Ita planum fieret cur, cum ea doctrina cum illis contenderit quas Plato et Aristoteles ediderunt de anima, iidem philosophi id habuerint curæ ut eam maxime refellerent.

Itaque etiam Alexander ipse eos secernit (5) qui animam esse ἁρμονίαν asserebant ab illis qui dicebant animam esse ormam quæ in ἁρμονία corporea efficiatur. « Illa enim ἁρμονία tantum est ultima materia cujus anima sit forma » : quæ

1. Simpl. 53, 1.
2. Philop. fr. 43, 1482 a 6 et fr. 32, 1479 b.
3. Cf. Zeller, Boutr. 1, 323.
4. Cf. de Anima Alex. Aphrod. I, 24, 18 sqq.
5. De an. 408 a 13 sqq.

sententia fortasse Aristotelis erat, doctrinæque « animæ-harmoniæ » adhuc vigenti opponebatur.

II

Hippocrates, ut supra diximus, Diogenis Apolloniatis doctrinam ad ea quæ Empedocles sentiebat accommodavit, cum dixit spiritum (πνεῦμα) e sanguine calido emanare. Non enim est πνεῦμα aer nec ignis sed aliquid minime corporeum ac ætheris simile. id que quo corpus animale quasi florescit, quod denique optimum fit ex elementis immixtis, quod igitur Empedocles animam vocat.

Hippocrates autem a Platone et ab Aristotele legebatur et explicabatur. Quidam etiam libri hippocratici, si Galieno credimus, putabantur ab Aristotele scriptos esse et apud nos Littré dixit (1) : « Aristote a été disciple de Platon, ainsi encore voisin des souvenirs qu'avait laissés le médecin de Cos..... Si on recherche les ressemblances entre les livres aristotéliciens et les livres hippocratiques, on en trouve une multitude (2) ».

Galienus denique asserit Aristotelem ab Hippocrate duxisse plerasque suas doctrinas ad naturam pertinentis. Si quis enim legerit, inquit Galienus, Aristotelis et Theophrasti opera existimabit sæpe se legere Hippocratis libros. Nam semper apud omnes illos calidum et frigidum et siccum et humidum agunt et patiuntur. (Quæ Hippocrates

1. « Introduction aux œuvres d'Hippocrate, p. 71.
2. Cf. præsertim. Hist. animal., III, 11.

et post illum Aristoteles sæpe indicaverunt). Atque videntur horum doctrinæ similes esse, cum Philoponus illa proferat quibus Aristoteli et Hippocrati tribuit principium : ἕπεσθαι ταῖς κράσεσι τοῦ σώματος τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις. Apud Aristotelem enim quantum sanguinis in parte continetur superiori, tantum discrepat ab inferiori (1).

« Il est très évident, ait Bouchut (2), qu'Hippocrate ne s'est pas moins occupé de philosophie que de morale et de médecine. » Itaque, si Hippocrates non auctor edidit de elementis mixtis doctrinam, hanc saltem ita ab Empedocle accepit ut medicis suis præceptis quasi fundamentum subesset. Corpus autem humanum eisdem elementis componitur quibus universum. « La distribution des quatre éléments dans l'organisme est ordonnée par la même force qui régit l'univers : s'ils sont rassemblés d'une autre façon, l'ordre cesse et la maladie commence... Il appelle nature cette force... Une chaleur innée naissant avec l'individu et se développant avec lui se sert des mêmes éléments dont se compose la nature. »

Discernuntur igitur apud Hippocratem τὰ ἰσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα καὶ τὰ κινοῦντα. Spiritus est τὸ ἐνισχόμενον et quod proximum movet corpus; anima autem in illa harmonia est quod primum omnium movet.

Fortasse fieri potest ut Hippocrates non πνεῦμα ab anima penitus discreverit; sed in libro qui « de Ventis » inscribi-

1. Cf. de part. animal., II, 2, 647 b 30.
2. « Histoire de la médecine » p. 118 sqq.

tur, et ille post Hippocratem mortuum sane scriptus est, principium vitæ seu πνεῦμα ab anima discernitur, quasi sit quintum quoddam elementum ætheris simile. Ab Empedocle igitur ad Aristotelem, doctrina de spiritu ita semper immutata est ut postremo ille spiritus non jam sit ipsa anima, sed corpus ἀσωματώτατον quo omnes vehuntur animæ partes (1).

Itaque per Empedoclem et Hippocratem Aristoteles potuit variis formis quibus tres ejusdem animæ partes constituuntur principium unum corporeum supponere, quod tanto elatius sit quanto purior sanguis. Hoc igitur πνεῦμα σύμφυτον stat quasi medium inter animam et corpus animale, et cum totum corpus efficiat unum quoddam esse, illud præparat ad incorpoream formam accipiendam. Inde fit ut anima agere possit, cum πνεῦμα sit proxima animæ materia, ut membra sunt proxima materia τοῦ πνεύματος.

Cum igitur sequeretur Empedoclem, Aristoteles novum aliquod medium invenit, cujus in animalibus eædem essent partes atque in natura omnium rerum partes hujus πρώτου οὐρανόυ (« stellarum fixarum sphœra (2) ») quod est σῶμά τι θεῖον (3), omnia quidem movens, positum inter deum immobilem et naturam quæ tota primo cælo movetur.

1. « C'est seulement plus tard, ait Pouchet (Rev. Phil. 1885) qu'on fera jouer au πνεῦμα un rôle capital en physiologie... Il est certain que cette doctrine n'a pas tardé à se substituer à la doctrine « cardiaque » comme on pourrait l'appeler, qui est la propre doctrine du Stagirite. »

2. Boniiz, Index. Arist. 541 b 25.

3. De Cœlo, II, 3, 286 a 10.

CAPUT SEPTIMUM

De anima cum corpore conjuncta.

Apud Platonem, corpus per similitudinem appellatur σῆμα quoddam, ex quo anima quam celerrime fugere debeat. Necessitas enim corpus cum anima conjunxit (1). Nec sapienti timenda est mors : immortalitas beata insequenda est morti sapientis hominis (2).

Apud autem Empedoclem reperiri possunt quædam theologicæ sententiæ (καθάρματα) quæ nullo modo, ex ipsius Zelleri sententia, possunt cum de philosophia opinionibus Empedoclis conjungi; nec iis est ulla cum ipsius principiis affinitas. Apud enim Empedoclem, physices principia ad animæ immortalitatem pertinenti doctrinæ repugnant.

Apud denique Aristotelem, illius partis animæ est immortalitas, cui est externa origo, id est intellectus agentis, qui animæ humanæ propria facultas non dici potest (sed potius e Deo in illam emanare).

Non præterea hominum et animalium et plantarum animæ sejungi possunt a corporis harmonia et ab ipso corpore. Itaque frustra quæritur corpusne et anima unum sunt, ut frustra quæreret quispiam num cera separari

1. Politicus, 309 A.
2. Cf Phœdr. 245 C.

possit a figura qua fingitur et materia ab hoc cujus est materia (1).

Quemadmodum igitur non est forma sublata materia, sic corpore sublato, nulla est anima : quod quidem principium in mente Aristotelis maxime defixum hæsit.

Quibus omnibus sententiis Platonis doctrina sæpe repugnare videtur, quæ cum omnino corpus ab anima sejungeret (2), ut apud nos Cartesius, explanare non valeret quomodo ambo utroque afficiantur. Plato quidem corpus vocare solet instrumentum; qua appellatione nihil explanatur.

Quomodo enim fieri potest ut ex animæ affectibus transcatur ad corporis motus? — Animus, ait Plato (3), omnia quæ in cœlo et in terra et in mari sunt ducit suis motibus, quibus nomina sunt : velle, considerare, curare, deliberare, opinari recte aut falso, gaudere, dolere, metuere, aversare, amare... Καὶ πάσαις ὅσαι τούτων ξυγγενεῖς ἡ πρωτουργοὶ κινήσεις τὰς δευτερουργοὺς αὖ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων ἄγουσι πάντα εἰς αὔξησιν καὶ φθίσιν καὶ διάκρισιν καὶ σύγκρισιν καὶ τούτοις... ἑπομένας;... Ita corporis motus συναίτιοι appellari possunt (4); Sed quomodo ex voluntate fiat motus corporis, hoc Plato inde aperte dicere non potest; sed κενολεγεὶ καὶ μεταφορὰς λέγει ποιητικάς (5).

1. De anima, II, 1, 412 b 7.
2. Cf. tamen Tim. 89 E et 87 D... οὐδεμία ξυμμετρία καὶ ἀμετρία μείζων ἢ ψυχῆς αὐτῆς πρὸς σῶμα αυτό. De hoc loco et vera Platonis doctrina vide infra, p. 56.
3. Leges X, 896 E. 897. Cf. Timœum 46, D, Lys, 221D.
4. Cf. Tim. 46 C.
5. Cf. Met. A. 9, 991 a 21.

Nunc tamen nobis exquirendum est quale sit apud Platonem corpus ipsum. Interpretorum autem Platonis doctrinæ recentissima opera ad hanc conclusionem nos ducunt : « Le corps existe non pour soi, mais pour l'âme, et c'est l'harmonie des fonctions de l'âme, plutôt que celle de l'âme et du corps que l'éducation doit réaliser (1). L'opposition du corps et de l'âme est le symbole de l'opposition des diverses facultés de celles-ci. Le corps, c'est la partie corporelle de l'âme (sensation) par opposition à l'âme envisagée dans sa pureté comme pouvoir de réflexion ». (Rodier. « La philosophie platonicienne » Cf. Halévy « La théorie platonicienne des sciences »).

Aristoteles vero non admittit ita corpus quoddam φαινόμενον purum esse ut ad animam tandem redigi possit.

Itaque, cum unumquemque motum transitum esse ex potentia ad actum putat, et corpus materiam esse cujus anima est forma propria, principium motus tribuere potest ideæ sive formæ in anima insitæ. Necesse est enim per causam finalem omnia explanari, ut Plato ipse dixerat (2). Itaque potest anima eodem modo corpus movere quo Deus mundum, hoc scilicet quod omnia ad se trahit et ubique ad se cupiditatem concitet. Præterea necesse est non solum in anima esse ideam quamdam, ut fiat motus qui cum illa congruat, sed etiam animantibus appetitum inesse simul cum notione. Itaque sine appetitu movere non potest intel-

1. Cf. Tim. 87 C. Vide supra not. 2. p. 55.
2. Cf. Phœd. 100

lectus. Cum præterea per rationem fit motus, etiam fit per voluntatem : voluntas enim est quidam appetitus (1).

Appetitus autem (cujus genera tria hœc sunt : cupiditas et ira et voluntas (2) est animæ sensitivæ facultas. Et quemadmodum intellectus non sine imagine intelligit, sic sublato appetitu homo ratione præditus agere non potest. Quidquid est, intellectui anima sensitiva necessaria est.

Supra vidimus quomodo anima sensitiva cum rebus ipsis per sensoria congruat, secundum quidem Aristotelem, quomodo etiam facultates animæ et nutritivæ et sensitivæ et intellegentis aliæ aliis necessariæ sint. Quæ inter se communicant non solum per hoc quod forma quæ circumdat jungitur cum forma circumdata, sed etiam per hoc commune ac corporeum substratum quod πνεῦμα vocatur.

Sic planum fit quomodo animæ cum animis inferioribus et anima cum corpore conjungantur. Cujus doctrinæ, quæ non apud Platonem reperitur, quasi lineamentum inveniri potest apud Empedoclem.

Nam Simplicius fere recte dicit (3) : τὴν ψυχὴν συνέστησαν μίξαντες δὲ ἀπ' ἀμφοῖν (σωματικοῖς καὶ ασωμάτοις) Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας.. Ἐμπεδοκλῆς μὲν ἔκ τε τῶν τεττάρων αὐτὴν ὑφιστάνει στοιχείων καὶ ἐκ τῶν δύο κινητικῶν ἀρχῶν, φιλίας καὶ νείκους, οὐ μόνον τὸ ἐκ πασῶν μῖγμα ψυχὴν λέγων (4). Cum igitur Aristoteles in locum φιλίας et νείκους animam ipsam supponeret, et pro principiis quibusdam incertis ἐντελεχείαν corporis

1. De anima. III. 10. 433 a 24.
2. Ibid. II. 3. 414 b 2.
3. Hayduck 30, 30. Comment. de anima, 7 a 20.
4. Ibid. 6 b 45.

substitueret, non tam ab Empedocle aberat quam credi solet.

CONCLUSIO

Apud Aristotelem vidimus Platonem et Empedoclem vicissim alterum alteri præstare. Nunc autem nobis in pauca summa conferenda est, ut ad ultimum comperiamur cujusque doctrinam cum alterius non omnino in Aristotele accommodari.

Doctrina quidem quæ ad potentiam et actum pertinet, quæ unius Aristotelis est, forsitan videretur duas illas diversas doctrinas in unam redigere posse. Sed Empedocli videtur materia satis esse, ut qui corpus maxime inspiciat, Platoni contra forma. Apud autem Aristotelem non injuria dubitaverit quispiam quin forma secundum Platonem cum materia secundum Empedoclem congruere possit.

Materia enim est quod per se quidem non definitum est, quippe quod sit ὅλῃ τὸ ἀόριστον (1). Inde sequitur ut illa materia sub intellegentiam cadere non possit. Si ergo corpus materia est in ejus extremis elementis, non intellegi potest, neque fieri potest ut totum ad quasdam certas formas redigatur. (Itaque ex Aristotelis sententia fiunt per materiam individua).

1. De an. II, 1, 412 a 5 et passim.

Quo efficitur ut corpus et anima sint duorum omnino diversorum generum. Quomodo ergo poterant alterum alteri accommodari? Necesse quidem erat dicere, sive animam e corpore gigni (utquidam ex Aristotelis discipulis (1) asseruere) aut corporis esse modum, qua in opinione Aristoteles Empedoclem secutus esset; — sive corpus e formis definitis ac certis, quæ sub intellegentiam cadere potuissent, constare. Sed ab hoc summo, ut ita dicamus, « idealismo » quod jam Plato metuere visus erat, Aristotelis ipsius mens sane abhorrebat.

Aristotelis enim inter ea quæ nunc « idéalisme » et « réalisme » vocamus eligendum fuit, quod tamen efficere non poterat, ut qui viginti sæcula viveret ante Leibnitzium. Quod igitur apud Aristotelem quasi mendosa est prima philosophia, sequitur ut illius doctrina quæ ad animam pertinet, quoque imperfecta sit.

(1) Dicæarchus præsertim. Cf. quid de Dicæarchi et Aristoxeni sententiis dixerit Tullius, in Tuscul. disp. I, c. X, XVIII. — Alter enim negat separabilem a corpore esse animam, alter asserit harmoniam membrorum et figuram corporis ipsam animam esse.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. VII KAL. APRIL., ANN. M DCCC XCVIII.
FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE
PARISIENSI DECANUS
A. Himly

TYPIS MANDETUR.
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,
Gréard.

Ateliers d'Ouvriers Sourds-Muets, 35, Faubourg Saint-Jacques, Paris

INDEX NOMINUM

Alexander Aphrodis.	p. 50	Hippocrates.	10,49,51,53
Anaxagoras.	8,9	Littré.	p. 51
Aristoxenus.	60	Malebranche.	7
Baco Verulamius.	5,7	Parménide.	9
Biach.	33,34,38,41	Philoponus.	50,52
Bonitzius.	16,53	Plato.	passim
Bouchut.	52	Plutarchus.	40
Boutroux.	20	Pouchet.	53
Cartesius.	65	Pythagorici.	9,49,50
Couturat	22	Renouvier.	21
Critias.	7	Ritter et Preller.	21,48
Democritus.	8,31,58	Rodier.	50
Dicœarchus.	60	Secretanus.	27
Diogenes Apollon.	7,8,49,51	Simplicius.	17,25,57
Diogenes Laert.	9,10	Spencer	21
Empedocles.	passim	Thales.	7
Fouillée.	39	Theophrastus.	16,32,40,44
Galienus.	51	Tullius.	12,16,18,23,06
Halévy.	56	Xenocrates.	18
Heraclitus.	7,8	Zeller.	9,39,44,50,54
Hippo.	7,8	Weygolat.	49

INDEX CAPITUM

Introductio			v
Caput primum	—	De anima generaliter.	11
— Secundum	—	De variis animis.	20
— Tertium	—	De anima nutritiva.	25
— Quartum	—	De anima sensitiva.	31
— Quintum	—	De intellectu.	44
— Sextum	—	De spiritu apud Hippocratem.	49
— Septimum	—	De anima cum corpore conjuncta.	54
Conclusio.			59

Ga 113.193.9
Quomodo apud Aristotelem in ejus.
Widener Library
004686848
3 2044 085 100 527